



Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Sectio II. De divisione Scientiæ Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

ejus esse. Et sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus intelligens, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere, sint omnino unum & idem, scilicet realiter. Nam, secundum eundem Doct. ratione distinguitur intellectus ab essentia, & ab ipso intelligere; ergo similiter species intelligibilis ab essentia, & intellectu, & ab ipso intelligere. Quidni ergo formaliter hæc distinguantur in sententia Scoti? Tu considera.

minare intellectum ad cognitionem sui, & aliorum: ergo frustra ad hoc ponitur species impressa. Probatur: nam Angelus per se ipsum & sine specie cognoscitur, ut docet Felix tract. de Angelis c. 4. diff. 2. ergo multò melius Deus. Resp. hic Auctor sup. n. 8. quod solum probatur, non esse necessariam in Deo speciem impressam, realiter distinctam, quod fateor. Dilectum est inter Deum & Angelum: nam in creatis ponitur species impressa, vel quia obiectum est absens, vel quia est improporionatum cum potentia; & cum Angelus sit sibi intimè præsens, & proportionatus, non indiget specie impressa, & propter hanc rationem non debet in Deo statui species. Cæterum præter hoc species determinat, & movet intellectum ad cognitionem hujus vel illius, & ad hoc ponitur in Deo.

Respondeo
ex eod.

Que distinctio
quoad hoc inter
Deum &
Angelum.

Inhabis: ergo saltem quando Angelus se cognoscit, debemus ponere speciem impressam, si non realiter distinctam ab Angelo, aliquo modo distinctam. Respondeo: quod non inficiat hoc fateri; nam nos tibi solum negamus speciem realiter distinctam & accidentalem. Secundò, nego talem speciem indistinctam in Angelo; nam omnis species impressa in creatis est accidens, & consequenter realiter distincta ab Angelo; nam si in creatis potest illi abesse, cum possit Angelus à sui cognitione cessare, ut dicam ibi diff. 5. Deus autem nequit cessare à sui, & aliorum cognitione; & ita species hæc impressa est à se ipso indistincta realiter. Huculque Felix non inconvenienter. Nec habeo, quod addam; ideo pergam ad divisionem scientiæ Dei, pro qua instituitur.

297.

Omnis species
in creatis
est accidens.

294. Probat enim Felix suam sententiam; quia essentia divina per modum obiecti movet potentiam, & terminat cognitionem; sed hoc, quod est movere, quod obiectum creatum mediâ specie impressâ efficit, distinguitur à munere terminandi, ut patet; nam creaturæ terminant (cognitionem Dei) & non movent: ergo in Deo datur ratio speciei impressæ distincta ab essentia divina. Sic ille.

295. Obijci: quod ratio speciei impressæ est accidens, quod producit intellectionem. Item, quod species impressa præsupponat obiectum; sed essentia divina non præsupponit creaturas: ergo non est species impressa illarum. Respondet idem Auctor: quod totum illud, quod est imperfectionis in specie impressa, reperitur in specie creatæ; tamen in Deo ponimus rationem speciei impressæ, scilicet imperfectionibus, quæ rationi speciei impressæ accidentaliter conveniunt; sicut in Deo constituimus intellectum per modum potentie, scilicet imperfectionibus, ut patet ex antedictis.

296. Majorem habet difficultatem, quod sequitur: Obijciunt 2. Deus per se ipsum, ut obiectum potest deter-

SECTIO SECUNDA DE DIVISIONE SCIENTIÆ DEI.

1. **I**s ita prælatis de existentia, & natura scientiæ Dei, sequitur explicanda ejus divisio seu qualitas, valde necessaria, ut ea, quæ dicenda sunt de obiecto scientiæ, percipiamus. Neque enim hæc dividitur scientia ratione sui, sive in plures actus; nam Sect. præc. Concl. 3. ostendimus, scientiam Dei esse unicum & simplicissimū actum; sed ratione obiecti, sive in plures terminationes ejusdem indivisibilis actus; idque ad plura obiecta creata: etenim circa obiectum increatum sola datur scientia visionis, vel sola scientia simplicis intelligentiæ juxta varias illarum scientiarum acceptiones, ut patebit ex Conclul. sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO I.

Dividitur scientia Dei adæquatè in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, sive in necessariam, & liberam.

2. **V**arii variè explicant scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Felix sup. cap. 2. Titul. I.

diffic. 1. n. 1. sic ait: Scientia Dei primâ sui divisione dividitur in eam, quæ versatur circa Deum, & omnia, quæ in ipsâ formaliter reperiuntur, & in eam, quæ circa creaturas versatur. Quæ circa Deum versatur, vocatur scientia visionis, quia est intuitiva & facialis. Quæ circa creaturas versatur, una est simplicis intelligentiæ, quæ tendit in creaturas possibili, ut tales; altera est scientia visionis, quæ respicit creaturas existentes. Citat Scotum n. 1. dist. 10. 5. Ad argumenta, num. 14. in fine: Aliter posset dici, quod in illo priori signo originis, antequam intelligatur spiritus sanctus spirari, Pater & Filius cognoscunt spiritum sanctum, ut intuitivè, licet non ut existentem in se: quia cognoscunt essentiam divinam, quæ est ratio cognoscendâ intuitivè quodcumque obiectum intelligibile. Sicut Trinitas cognovit creaturam, etiam intuitivè, antequam produceretur, quia essentia sua, quam intuitur, est ratio perfectissimè cognoscendâ intuitivè quodlibet cognoscibile, licet nullum existeret in se. Item Item dist. 3. dist. 3. q. un. n. 35. ibi: Auctoritates omnes Sancto-rum, quæ videntur sonare, omnia esse præsentia æternitati, intelligenda sunt de præsentia in ratione cognoscibilis: & non tantum cognoscibilis quasi cognoscibilis.

Explicatio
scientiæ
simplicis
intelligentiæ
&
visionis
ex
Felix.

Hec colligitur
ex Scoti
1. dist. 10.

nitioe abstractiva: sicut rosa non existens est præsens intellectui meo per speciem: sed de cognitione vera intuitiva, quia non aliter cognoscit Deum facta, quam fienda; & ita perfectè sunt præsentialiter cognita ab intellectu divino fienda, sicut facta. Non autem Possibilia; sed, Fienda: id est, futura, & ita hic meminit scientiæ visionis, quâ cognoscitur res post liberum decretum futuritionis. Porro scientiæ simplicis intelligentiæ meminit Doctor Quodl. 14. n. 15. ibi: Completo autem toto isto processu originis respectu primi termini, scilicet essentia divina communicanda, sequitur ordo alius respectu termini secundi, essentia scilicet creabilis: & quidem essentia ipsa Divina in isto secundo ordine movet primò ad intellectionem simplicem omnis intelligibilis, id est, rei possibilis ante decretum liberum futuritionis. Nam sequitur apud Scotum: Non autem movet ad distinctam notitiam veritatis cujuscunque complexioni; quia si moveret determinatè ad cognoscendam alteram partem in futuris contingentibus &c.

Itaque scientia simplicis intelligentiæ erit, quâ Deus cognoscat res possibiles ante decretum liberum futuritionis. Quam etiam abstractivam aliqui vocant, & scientiam visionis intuitivam. Per illam (inquit Smil. tr. 3. disp. 5. n. 8.) dicitur Deus cognoscere esse essentia, seu possibile creaturarum; per istam verò esse existentia earum, ut ex communi sententia tradit D. Tho. cum Aliis, locis mox citandis, purâ, 3. Sent. ad Annoib. dist. 14. q. un. a. 2. dicens: In Verbo seu in Deo distinguitur duplex cognitio, una, quâ, dicitur visionis, per quam videt Deus quasi præsentia omnia, quæ sunt, erant, & fuerunt, alia dicitur simplicis intelligentiæ, per quam non solum illa scit, sed etiam omnia, quæ potest facere. Et q. 2. de Veritate, a. 9. ad 2. Scientia simplicis notitia. & scientia visionis nullam differentiam important ex parte scientis; sed solum ex parte rei significare: dicitur enim scientia visionis in Deo, ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur. Videt per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitia etiam est eorum, quæ nec sunt, nec erant, nec fuerunt, nec alio modo scit Deus ista & illa. Ubi in primis notat D. Tho. (auditis Smil. sup.) hanc divisionem non importare distinctas scientias in Deo, sed solum distinctas terminationes unius scientiæ, sumptas ex diversitate objectorum. Deinde ripe (ut & Alii communiter) hanc divisionem accommodat solum illi scientiæ, quam Deus habet de creaturis; eò quòd hanc diversam divinæ scientiæ appellationem solum invenerunt Theologi ad explicandum divinæ providentiæ ordinem, qui ex vario creati entis statu desumitur. Sic ille. Et continuo subiungit. Propriissimè tamen etiam dicitur Deus videre seipsum, suasque perfectiones, & proprietates, quia ipse maximè est, & esse dicitur objectum scientiæ intuitivæ. Imò alia

extra se posita, licet videat secundum proprium eorum esse, non tamen in se ipsis, sed in se ipso, tanquàm primo objecto, ejus virtute cognoscit omne scibile. Ut ergo propositæ divisionis membra adæquent atque exhauriant omnem

Dei scientiâ, intuitivæ appellatione comprehendi debet omnis scientia ad ens actuale terminata, sive illud creatum sit, sive increatum. Scientia verò simplicis notitiæ completè descripta fuit, quæ ad esse essentia seu possibile creaturarum terminatur:iple enim Deus, ut non abstrahit ab esse, sed essentialiter est; sic non potest cognosci à se ipso simplici intelligentiâ, ut contra intuitivam distinguitur. Hactenus Theodorus.

Aliter hanc adæquationem explicat Poncius sup. disp. 5. n. 34. dicens. Antiqui Scholastici commoiter dividebant scientiam Dei in scientiam simplicis intelligentiæ, quam naturalem seu necessariam vocabant; & in scientiam visionis, quâ appellabant liberam. Per necessariam intelligebant, quam Deus necessariò debebat habere, ita ut, nullâ fâ&â hypothesi possibili, posset eâ carere; & talis est, quam habet de seipso, & omnibus prædicatis, necessariò competentibus ipsis, ac etiam de omnibus possibilibus, quâ talibus.

Cur autem vocaverint illam simplicis intelligentiæ, nescio; nisi quia placuit eo nomine eam ab altero secernere. Per scientiam visionis accipiebant eam, quam Deus posset absolute, & factâ suppositione aliquâ possibili, non habere, & talis est, quam habet de omnibus objectis, liberè productis, ac producendis, quatenus cognoscit de iis, quòd producti sunt vel producendi; eum enim liberè producti sint, aut producendi, possibile absolute esset, quòd Deus non cognovisset, quòd essent producti aut producendi. Difficultas jam est, sed merè de nomine; an scientia Dei adæquatè dividatur in hæc duo membra. Respondeo autem, si per scientiam visionis intelligatur scientia libera, quâ absolute carere Deus posset, omnino divisionem esse adæquatam: quia non potest Deus ullam habere scientiam, nisi aut quâ carere non potest, aut quâ potest. Si non potest, erit scientia necessaria & simplicis intelligentiæ; si potest, erit libera & consequenter visionis. Sic ille. Ex his patet, quòd, sup. dixi, scientiam Dei circa objectum increatum vel tantum esse simplicis intelligentiæ juxta hanc expositionem, vel dumtaxat visionis juxta præcedentem.

Cæterum Smil. sup. n. 14. existimat divisionem hanc intelligendâ esse non secundum dialecticè dividendi rigorè, secundum què necesse est, membra divisionis re, vel ratione adæquata esse condistincta, seu non coincidere ullo modo in illo genere distinctionis, de quo agitur; sed esse traditâ divisionem nihil aliud, quam consideratione divinæ scientiæ secundum rationem adæquatâ, & inadæquatam. Hæc autem ratio inadæquata appellabitur simplex intelligentia, quatenus scientia divina præcisè consideratur, ut terminatur ad essentiam creatam, & dici potest abstractiva, quia quâ talis non postulat causari ab essentia præente in se, vel in alio, in quo eminenter contineatur. Quia tamen scientia divina tota & adæquatè spectata, seu ut in Deo est, postulat causari ab objecto præente, scilicet essentia divina, in qua eminenter omne præsentabile continetur, sive sit ens actuale, sive

Istius meminit Scotus Quodl. 14.

3. Hæc vocatur intuitiva, ista abstractiva. Smil.

Qualiter D. Tho. eas distinguit.

Hæc distinctio solum importat distinctas terminationes. Smil.

Scientia visionis terminatur ad ens actuale, simplicis intelligentiæ ad esse possibile.

4. Explicatio hanc facimus ex Poncio.

Vna appellatur libera, altera necessaria.

An dictio divisio sit entis seu intelligentiæ.

Quid sit ratio Smil. de hac divisione.

sive potentiales; hinc simpliciter dici debet cognitio intuitiva, ita quod etiam essentias rerum Deus intuitivè cognoscat. Atque hæc scientia dici poterit visionis, quatenus non solum terminatur ad essentias; sed etiam ad existentias rerum, ut infra videbimus.

6. *An detur scientia media.*
Impresensiarum controvertitur, an hæc divisio sit adæquata, utique propter scientiam media, quâ Deus futurum sub conditione cognoscit, ante decretum absolutum suæ voluntatis; v.g. Si vocavero Petrum, Petrus respondebit. Et hanc scientiam Aliqui reducunt ad scientiam simplicis intelligentiæ: Alii ad scientiam visionis. Nonnulli volunt, absolute vocandam esse mediam, ita ut illa divisio non sit adæquata. Sed (inquit Felix sup. n. 2.) hæc quaestio est de nomine: nam Patroni hujus solum intendunt, ut Deus cognoscat futura conditionata ante actuale decretum suæ voluntatis: sed quod scientia media, quâ illa cognoscit, vocetur visionis, vel simplicis intelligentiæ, quaestio est de nomine. Et actum subnectit n. 3. Ego autem semper existimavi, dictam divisionem esse adæquatam, & non dari scientiam mediam. Probatur: nam omnis creatura vel habet esse possibile & diminutum, & cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, vel habet esse futurum, & cognoscitur per scientiam visionis. Respondent, quod est ens medium, scilicet futurum sub conditione v.g. Si vocavero Petrum, Petrus respondebit. Ly Petrus respondebit, non est absolute existens, neque absolute possibile: ergo medium: ergo circa illud datur scientia media. Sed contra: nam tale objectum solum est absolute possibile; quia tunc Deus solum cognoscit naturam vocationis, & connexionem, quæ est inter vocationem Dei, & responsum Petri; sicut cognoscit naturam ignis, quod, si applicetur, calefaciet; & ita tale objectum solum in nomine, & grammaticaliter est futurum, nam in re tantum est absolute possibile. Hucusque Felix. Immo omnia possible ita sunt futura, scilicet sub conditione, si Deus decernat ea producere. Quod si supponas decretum Dei conditionatum, jam illa futura erunt objectum scientiæ visionis, & absolute, ut docet Smising tract. 3. disp. 2. n. 164. Visionis quidem, quia adeo perfecte terminatur ad existentiam futuri sub conditione, ac terminaretur ad illam, si, conditione posita, ipsa existentia talis futuri in aliqua temporis differentia poneretur: hoc autem ad visionem seu intuitivâ cognitionem sufficit; nec requiritur, ut res in se sit præsens. Est autem absoluta, quia licet non terminetur ad futurum absolute, tamè absolute terminatur ad futurum sub conditione.

7. *Omnis propositio conditionalis continet duas categoricas.*
Pro ejus intellectu advertendum, omnem propositionem conditionalem continere duas categoricas: quarum una vocatur Antecedens, altera Consequens conditionalis, ut hæc: Si sol lucet, dies est, istas, sol lucet, dies est; & utraque cognoscitur absolute, licet Consequens cognoscatur eî ordine ad Antecedens; adeoque non absolute, quatenus absolute opponitur comparativo, bene autè absolute, prout absolute opponitur

conditionalis. Quod in syllogismo categorico, seu Consequentia categorica patet; ubi nemo dicit, Consequens esse conditionale; sed est absolute, licet habeat connexionem cum Antecedente, & ut sic comparative terminet assensum conclusionis; unde idem est in Antecedente, & Consequente conditionalis propositionis, quæ non aliud, quàm quædam Consequentia est; hoc solum intercedente discrimine, quod Antecedens conditionalis non affirmatur, quemadmodum affirmatur Antecedens categoricæ Consequentia, sed solum sub conditione proponitur, quâ supposita, tam est absoluta Consequentia in conditionali propositione, quàm in syllogismo categorico.

Atque ita fit, ut scientia futuri contingentis sub conditione non sit conditionata, sed absolute appellanda; ideoque veteres Scholastici, divinam scientiam adæquatè dividentes in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quarum illa ad esse essentia, hæc ad esse existentia rerum absolute terminetur, non constituit, ut aliquam mediam, quæ ad esse existentia rerum terminetur sub conditione, quam Recentiores satis improprie conditionatam appellant, non attendentes, aliud esse, quod scientia totius complexi conditionalis sit conditionalis; aliud verò, quod scientia, terminata ad Consequens complexionis conditionalis sit conditionalis: illud enim verum est, hoc falsum, nec est confundenda scientia Consequentis cum scientia Antecedentis, ut patet; licet ordinè quodam, & per aggregationem totius complexionis una scientia dici possit: quæ aggregatio, sicut in nobis est secundum plures actus, ita in Deo secundum plures terminationes ejusdè indivisibilis actus, quo novit omne verum. Re tamè intellectâ, non est de hac nominis quaestione multum contendendum; sed si quis velit scientiam conditionatam appellare, parum refert. Hactenus Theodorus. Satis prolixè pro quaestione de nomine. Quaestio autem realis est, an detur talis scientia sive absoluta, sive conditionata in Deo ante omne decretum actuale, & absolutum, ejus resolutionem reservamus ad alium locum, magis opportunum: nam meretur singularem Conclusionem propter maximas difficultates, quas in se continet.

Pergo nunc ad scientiam approbationis, & reprobationis, quæ non videntur contineri sub prioribus membris; atque adeo priorem divisionem arguunt inadæquationis. Sed dicendum cum Smising. tr. 3. disp. 5. n. 16. scientiam approbationis (quam vocant) non esse aliud, quàm scientiam visionis, vel simplicis notitiæ, quatenus complacentiam voluntatis annexam habet. Undè non est aliud scientia approbationis, vel reprobationis, quàm objecti approbati, vel reprobatæ scientia. Quia autem illud objectum potest considerari vel in potentia, seu esse possibili, vel in actu, seu esse actuali, hinc scientia approbationis, vel reprobationis potest dici visionis, aut simplicis intelligentiæ. Quod explicat Fel. sup. n. 4. in fine: Approbationis scientia solum addit actum voluntatis, quo complacet

8. *Scientia futuri contingentis sub conditione est absoluta.*

Improprie ab aliquibus vocatur conditionata, juxta Smif.

9. *Quid sit scientia approbationis, & reprobationis.*

Deus in re futura, & ita est scientia visionis; vel quo vult illam producere, & ita est scientia simplicis intelligentiæ: idem dico proportionali modo de scientia reprobationis. Sic ille. Igitur reprobationis scientia solum addit actum voluntatis, quo Deus displicet in re futura, & ita est scientia visionis, quia sequitur decretum futurationis, vel quo non vult illam producere, & ita est scientia simplicis intelligentiæ; quia præcedit decretum futurationis: v.g. Deus videt peccatum fieri ab homine, & illi displicet; vel cognoscit aliquid possibile, & habet voluntatem non faciendi illud. Consimiliter, Deus videt bonum opus fieri ab homine, & illi placet; vel cognoscit aliquid possibile, & habet voluntatem illud faciendi. De scientia approbationis exponitur illud, quod habetur Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et quod legitur Habac. 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris, scilicet eam approbando.* Alioqui scriptum est Psal. 68. v. 6. *Delicta mea à te non sunt abscondita, quia reprobata.* Et sic dicitur Math. 7. 23. *Tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Et c. 25. v. 12. *Amen dico vobis, nescio vos.* Et Luc. 13. v. 25. *Nescio, vos unde sitis.* Scilicet, scientiâ approbationis; quâvis optimè nollit scientiâ reprobationis.

Scriptura, quæ de his scientiis exponuntur.

10. *Quomodo Deus sciat male culpa. Smif.*

Dico (inquit Smifag. sup.) Deum scire mala culpæ scientiâ simplicis intelligentiæ, & visionis, non quomodocumque, sed tanquam reprobata; adeoque scientiâ abstractivâ, & intuitivâ reprobationis. Sic ille. Si autem à me quaeritur, an simplex intelligentia, sive approbationis, sive reprobationis bene restringatur ad rem non existentem, & visio ad rem existentem. Respondeo & erit

CONCLUSIO II.

Simplex intelligentia cognoscit res, quæ actu existunt, secundum rationem possibilitatis, & est quodammodo intuitiva.

11. *Felix.*

Varia supposita pro intelligentia Conclusion.

Ubi est (utor verbis Felicis sup. n. 6.) an objecta harum scientiarum (simplicis intelligentiæ, & visionis) ita differant inter se, ut scientia simplicis intelligentiæ nullo modo cognoscat res existentes, neque scientia visionis res posibles. Et suppono, quod sermo est de re possibili secundum esse formale, quod habet à Deo; non verò secundum esse virtuale: nam ut sic, cum sit ipse Deus, per scientiam visionis cognoscitur. Suppono secundò, quod esse actuale est quid diversum, saltem secundum statum, ab esse possibili. Suppono tertio, quod per scientiam simplicis intelligentiæ non solum cognoscitur quidditas rei, v.g. hominis; sed etiam existentia ejus quoad quidditatem, & esse possibile. Suppono quarto, quod per sci-

entiam visionis non cognoscitur possibile: nam hæc scientia respicit existentiam actualem, ad quam supponitur decretum, & possibile est ante decretum. Difficultas solum est, an per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat Deus, quæ actu existunt sub ratione possibilitatis. Sic ille. Rogas, quid respondeat ad hanc difficultatem? Attende: Dico (inquit n. 8.) Deum cognoscere scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ actu existunt, secundum rationem possibilitatis. Probat suum dictum: quia talis possibilitas est cognoscibilis: sed prout distincta, & abstracta ab existentia rei non terminat scientiam visionis: ergo terminat scientiam simplicis intelligentiæ. Secundò, quia possibilis est idea, instar cuius Deus ad extra producit creaturam: ergo, cum talis idea perseveret in Deo, adhuc creatura actualiter producta erit à Deo cognita, non scientiâ visionis; ergo scientiâ simplicis intelligentiæ. Ita Felix. Si dixeris: talis scientia simplicis intelligentiæ erit abstractiva, quæ non est ponenda in Deo de re actu existente, quia dicit imperfectionem: ergo illa non cognoscit rem existentem. Respondet præfatus Auctor sup. n. 9. scientia simplicis intelligentiæ etiam terminatur ad existentiam rei secundum rationem, & quidditatem ejus: nam de re mihi præsentem habeo scientiam quidditativam: de ratione enim scientiæ abstractivæ solum est, quod eadem maneat, sive objectum sit præsens, sive absens. Sic ille.

Enimvero scientiam abstractivam posse terminari ad rem, ut existentem, & præsentem, docet Smifag. tract. 2. disput. 6. num. 5. Et quod ad existentiam attingit, est aperte Scoti 2. dist. 3. q. 11. n. 12. qui sic incipit: *Terriò dico, quod quantumcumque haberet (Angelus) concepit sibi notitiam singularis, & notitiam existentie contingentis; tamen cognitionem intuitivam singularium necessario accipit à rebus: non enim omnino cognoscens existentiam aliusque cognoscit ipsam intuitivè, quia potest ipsam cognoscere abstractivè.* Nam cognitionem intuitivam singularium non potest habere (Angelus) in Verbo, ubi tamen cognitionem existentia habet: & ideo ad cognitionem intuitivam rei necessario concurrat objectum reale, vel ipsa res ut præsens. Et Quodl. 7. n. 8. ait: *Est cognitio abstractiva possit esse non existentis & que, sicut & existentis; tamen intuitiva non est, nisi existentis, ut existens est.* Item Quodl. 13. n. 10. *Ad secundum (inquit) concedi potest, quod sunt due cognitiones (intuitiva & abstractiva) ejusdem objecti simul, sic quod non distinguatur objectum ab objecto, sicut essentia ab existentia: quia licet inter ista sit aliqua distinctio objecti; tamen non sufficiens ad propositum: quia etiam ipsa existentia potest cognosci cognitione abstractivâ. Sicut enim essentiam, sic existentiam possum intelligere, licet non sit realiter extra intellectum.*

Et verò idem Doctor 2. dist. 3. q. 9. ut alibi vidimus, concedit Angelo ab initio creationis infusam notitiam abstractivam distinctam essentia divina, non præcisè, prout distinguitur ab attributis, & modis intrinsicis; sed prout distinct-

Præfatus Conclusio prima.

Secunda conclusio.

Objectum.

Solutio.

12.

Scientia abstractiva potest terminari ad rem ut existentem, & præsentem. Smif. Scotus.

13.

Angelo ab initio infusa notitia est infusa notitia.

abstractio
D.

per se
con
gredit
exist
entiam
&
immuta
tione

Smiling.

14.
Quid noti
cia intuiti
va & ab
stractiva
ex Felice.

15.

distinguitur à proprietatibus relativis Personarum, ut patet ex respons. ad 4. primæ opinionis, num. 15. ibi: *Ad aliud posset dici, quod licet illa species in intellectu Angeli sit ratio distinguendæ cognoscendæ essentiam divinam, non tamen est ratio distinguendæ cognoscendæ modum ipsius essentia in supposito. Igitur & existentiam Dei, quæ est essentialis, & immensitatem, quæ est modus intrinsecus, Angelus per illam speciem cognovit abstractivè secundum Scotum; ergo essentia ut existentem, & præsentem; nam ratione immensitatis Deo competit esse præsentem omni creaturæ actuali, adeoque præsentem ipsi Angelo cognoscendi. Quidam ergo Angelus cognoverit abstractivè Deum, ut existentem præsentem vel potius Deum existentem & præsentem? Nam ly *per* videtur significare talem existentiam, & præsentiam esse necessariam ad huiusmodi notitiam, quod falsum est; quippe in hoc distinguitur notitia abstractiva, & intuitiva; quod hæc sit talis in entitate seu substantia actus, ut nata sit, seu connaturaliter postulet causari ab objecto præsentem in propria existentia; abstractiva autem non postulet connaturaliter causari ab objecto præsentem in propria existentia: quod discrimen sufficit (inquit Smif. sup. nu. 6.) ut hæc cognitiones specie differant. Plura ibi vide.*

Placet subseribere, quæ de his notitiis perstrinxit Felix de Visione c. 1. diff. 1. n. 2. Suppono (inquit ille) duplicem esse cognitionem, unam intuitivam, alteram abstractivam; intuitiva est illa, quæ terminatur ad objectum existens, & præsens, ut præsens & existens est. Itaque hæc cognitio dicit duplicem respectum realem ad objectum: unus est mensurabilis ad objectum, ut mensuram; alter est respectus attingentis ad ipsum objectum, & uterque est respectus realis; cum objectum sit reale, & realiter sit præsens, & similiter cognitio sit realis. Cognitio abstractiva est illa, quæ terminatur ad objectum, ut abstrahit ab existentia, & præsentia, quæ cognitio etiam duplicem vendicat respectum, nempe mensurabilitatis, & attingentis; sed cum objectum non sit realiter existens, & præsens, erunt tantum respectus rationis, & secundum dici.

Notanter dixi, quod intuitiva terminatur ad objectum præsens, & existens, ut præsens & existens est; nam abstractiva etiam terminatur ad objectum existens & præsens, non tamen ut existens & præsens: v. g. Astrologus cognoscit Eclipsim lunæ quoad existentiam præsentem, scilicet quod modò est eclipsis, & tamen est cognitio abstractiva. Itaque ad cognitionem intuitivam objectum in esse reali præsentem, & existentem movet & terminat illam; at verò ad cognitionem abstractivam, quando cognoscit præsentiam, & existentiam objecti, non movet, nec terminat illam talis existentia, & præsentia in esse reali, sed solum in esse objectivo. Hæcenus Felix.

Rogat jam aliquis: an sit idem scientia simplicis intelligentiæ, ac scientia abstractivæ; &

scientia visionis ac intuitivæ. Affirmativè (inquit Felix de Scientia Dei c. 2. diff. 3. n. 9.) respondetur communiter; quia scientia simplicis intelligentiæ ad essentiam rei præcisè terminatur, quod est proprium scientiæ abstractivæ: scientia verò visionis terminatur ad rem existentem, quod est proprium scientiæ intuitivæ. Sed nunquid hæc sententia placeat d. Auctoris? Dico (inquit ipse) cum Smifing tr. 3. disp. 5. n. 9. & 15. quod etiam scientia simplicis intelligentiæ est intuitiva. Probatur primò: scientia intuitiva terminatur ad objectum existens, & præsens facilliter; sed creaturæ possibiles, secundum suum statum, sunt Deo præsentem, & existentes facilliter; ergo terminant intuitionem, sicut terminant futura, quæ non existunt actualiter secundum esse præsens, sed solum secundum esse futurum in decreto Dei. Secundò: quia possibilia cognoscuntur in essentia Divina, in quâ continentur, & ibi sunt magis præsentia, quàm in se ipsis: ergo intuitivè cognoscuntur, & ita scientia illorum absolute est intuitiva; licet secundum quid dici possit abstractiva, quatenus scientia talis possibilis non petit ex natura sua objectum in se, vel in alio eminenter existens; sed sufficit illam causari à specie objecti, licet objectum sit abiens: scientia verò abstractiva divina postulat objectum præsens propter suam infinitatem, & ita est simul intuitiva simpliciter, & abstractiva secundum quid. Ita Felix. Hæc latius deducta videri possunt apud Smifing sup. n. 15. ubi in fine ait: Neque hoc obstat vulgaræ divisioni scientiæ divinæ, quam diximus, non esse divisionem in plures scientias, etiam secundum rationem; sed in rationem adæquatam, & inadæquatam. Sic ille. Et Herinx Episcopus 1. part. disp. 6. n. 20. Credendum (inquit) non est, ipsam scientiam simplicis intelligentiæ per hoc (quod res possibilis post decretum sit futura) transire in scientiam visionis; sed ipsa manet eodem modo representans objectum, nempe secundum essentiam, quatenus est possibile, seu quatenus est objectum omnipotentis divinæ, sicut ante decretum, & sicut representat ea, de quibus velut aliquando futuris Deus nil decrevit. Unde cum scientia visionis rerum coexistentium alicui temporis differentie manet simul scientia simplicis intelligentiæ, decretum antecedens, & à coexistentia objecti cum aliqua temporis differentia præsciendens. Hæc ille. Et ego dico: credendum non est, scientiam abstractivam per hoc transire in intuitivam; sed ipsa manet eodem modo representans objectum, nempe secundum essentiam, præcisam ab existentia, quàmvis simul terminetur ad existentiam, & ad præsentiam propter suam infinitatem, quæ postulat objectum existens, & præsens, saltem in esse objectivo, atque adeo simul est intuitiva.

Si inferas: Ergo Deus concipit res aliter, quàm sunt; quia concipit possibilitatem seu essentiam, præcisam ab existentia, cum tamen non sit præcisæ, ut supponitur. Respondetur:

An sit idem
scientia vi
sionis ac
intuitiva.

Scientia
simplicis
intelligen
tiæ est in
tuitiva.
Smif.
Felix.

Occurrit
objectioni.

Herinx.

Indicium
Auctoris.

16.
Obiectio.

Diluitur.

conceptum possibilitatis, seu essentiae esse distinctum formaliter ex natura rei à conceptu existentiae, seu futuritionis rei; atque adeo Deus cognoscendo possibilitatem seu essentiam, ut distinctam, cognoscit rem, ut est in se, quamvis omnia simul unico intuitu cognoscat. Igitur haec scientia abstractiva non repugnat perfectioni divinae; sed illa tantum, quae nullam habet conjunctam intuitivam; & propterea hanc in Deo non admittimus. Dices: cognitio intuitiva non fit per speciem, sed Deus cognoscit possibilita in sua essentia, gerente speciem possibilitatis, ut sup. dictum est: ergo talis cognitio non est intuitiva. Respondet Felix sup. quod Major in Scoto non est certus, sed tantum probabilis. Sed quidquid sit de hoc, Scotus loquitur de specie impressa creata; non verò de essentia divina, gerente munus speciei. Si rursum objicias: Possibilia solum habent esse diminutum; ergo non habent existentiam, quae possit terminare scientiam intuitivam, Respondeo (inquit idem Autor sup.) cum Scoto 1. dist. 36. 5. *Ad primum principale*, quod licet formaliter solum esse diminutum habeant; tamen est, quod virtute essentiae divinae per scientiam attingitur, & eis non repugnat, non est diminutum, sed ratum & verum. Sic ille. Audi Scotum loco citato: *Ad primum principale dico*; quod ens ratum, aut appellatur illud, quod habet esse firmum, & verum esse sive essentia, sive existentia, quia unum non est sine altero, qualitercumque distinguantur; aut ens ratum dicitur illud, quod primo distinguitur à signentis, cui scilicet non repugnat esse verum essentia, vel existentia. Si primo modo accipitur ens ratum, dico, quod homo non est ex se ens ratum, sed ab efficiente, à quo habet esse verum & essentia, & existentia. . . . Si secundo modo intelligatur ens ratum, dico, quod homo est ex se ens ratum, quia formaliter ex se non repugnat sibi esse. Et tali modo esse possibile est ens ratum, ut patebit ex infra suo loco dicendis, quod sufficit, ut possint terminare scientiam intuitivam.

Altera ob-
jectio.

Solutio ex
Felice.

Obijetur 3.

Solutio ex
Scoto.

17.
Quarta
objectio.

Solutio ex
Smif.

Infert aliquis: ergo Deus res creatas prius cognoscit in esse essentiae, quam existentiae. Concedo totum. Ergo prior illa cognitio non est illo modo comprehensiva existentiae, si illam sibi vendicat talis essentia. Respondeo cum Smifing sup. n. 18, negando Consequen-
tiam, sed solum sequitur, quod non sit comprehensiva existentiae creatae, quatenus est comprehensiva creatae essentiae, quod manifestum est; quemadmodum clarum est, creatum ens non eo ipso, quod habet esse essentiae, habere esse existentiae: atque ita haec rationes diversimodè terminant eandem Dei scientiam comprehensivam omnis veri; adeò, ut si illae rationes entis creati in se ipsis, & non in divina essentia, tanquam objecto primo omnis veri representati-
vo cognoscerentur à Deo distinctis secundum rem scientis, una ante aliam, naturae saltem ordine, cognosceretur; & proinde divina scientia, spectata in adaequatione, quatenus praecise ad objecta secunda terminatur, seu quatenus non consideratur Deus, ut cognosceus per illam o-

mnia in uno objecto primario (quo pacto est comprehensiva omnis veri) rectè dividitur secundum rationem in scientiam abstractivam, & intuitivam, quarum una sit alia prior secundum inadaequatam rationem. Sic ille. Ex quo patet quare in Conclus. ponatur illa particula: *Quodammodo*, scilicet prout terminatur ad secunda objecta, in primario eminenter contenta. Ceterum ex jam dictis consequens videtur esse, quod non sola scientia simplicis intelligentiae sit quidditativa; ideo dico:

CONCLUSIO III.

Scientia visionis est quidditativa, & cognoscit res, etiam praeteritas, & futuras.

Quidam existimant, cognoscere rem quidditative proprium esse simplici intelligentiae: quia, inquit, de ratione scientiae quidditativae est judicare, quod convenienti subiecto ea, quae sunt de essentia ejus, quod solum efficit scientia simplicis intelligentiae, nam scientia visionis solum judicat, existentiam convenire subiecto. Sed hoc non placet (inquit Felix sup. n. 11.) nam scientia visionis non solum videt Deus rem actualiter existentem; sed cognoscit quidditatem talis rei, ut existentem. Itaque duplex est scientia quidditativa in Deo, una simplicis intelligentiae, quae penetrat quidditatem rei, sive existat, sive non; altera visionis, quae penetrat talem quidditatem, actualiter existentem ut existentem, sive in se, sive in decreto Dei. Sic ille. Nec video quid posset objici, dignum solutione, & ideo progredior ad 2. partem Conclus. quae & ipsa communis est.

Probatur autem ex infinitate scientiae Dei, & quia mensuratur aeternitate, cui omnes res sunt praesentes, tam quae actu existunt, quam quae praeterita, vel futurae sunt. Novit Deus omnia (inquit Aug. lib. 15. de Trin. c. 7. ita ut nec ea, quae dicuntur praeterita; ibi praeterant, nec ea, quae dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant; sed & praeterita, & futura cum praesentibus sint cuncta praesentia, nec singula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeant; sed in uno conspectu simul praesentia sunt universa. Nec dixeris: praeteritum quidem sunt, sed alio, & alio modo. Deo enim non audeo dicere (inquit idem S. Doct. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 18.) alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo, quo ea noverat, ut faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Ergo si novit scientia visionis, cum ea fecisset, eadem novit, ut faceret. Hinc D. Aug. lib. 15. de Trin. c. 13. ita & scriptum est in libro Ecclesiastico c. 23. v. 29. Antequam crearentur, omnia nota sunt illi, sic & postquam consummata sunt. Sic, inquit, non aliter & antequam crearentur, & postquam consummata sunt. Non enim ejus sapientia aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat, ait ibidem S. Doct. Ergo si illis existen-

Quare in
Conclus. po-
natur h
Quodam-
modo.

18.
Quidam
putant si-
cientiam vi-
sionis non
esse quiddi-
tativam.

Oppositum
docet Felix.

19.
Probatur
scientiam vi-
sionis de-
bam res
praesentia
cognoscant.
S. Aug.

Occurrit
objectum.

stantibus erat scientia visionis, etiam antequam
existerent. Porro quod nostra visio non termi-
netur, nisi ad rem acta extra causas suas posita,
idque præsentē, est limitatio nostri intellectus.

Itaque cognoscere rem esse præsentē, præte-
ritam, aut futuram, non est aliud (inquit Smil-
sup. n. 17.) quàm cognoscere, ita rem habere
coexistentiam cum tali tempore, quod respectu
istius temporis dicitur præteritum, aut futurum;
hoc autem totum habet rationem unius scibili-
lis scientiæ perfectæ, quæ res existere cognosci-
tur secundum omnes conditiones existentiae;
adeoque cum ordine ad tale tempus; unde cum
divina scientia non possit non terminari ad ex-
istentiam rei secundum omnes conditiones ex-
istentiæ, non potest non cognoscere existentiam
rei, ut præsentem, præteritam, vel futuram;
adeo ut hæ temporum differentiæ respectu di-
vinæ scientiæ non habeant nisi unius scibilis
rationem, nec nisi ad unam (secundum rem,
& rationem) divinam scientiam spectent. Ali-
ud est de esse existentiae, comparato cum esse
essentiæ creatæ; potest enim perfectè in-
telligi tale esse essentiæ absque eo, quod intel-
ligatur esse existentiae; & ideo esse essentiæ
creatæ constituit rationem unius scibilis, divi-
dentis scientiam divinam quoad ejus termina-
tionem à divina scientia, quatenus ad esse ex-
istentiæ terminatur, diciturque eadem divina
scientia sub priori ratione abstractiva, sub po-
steriori intuitiva, rectèque Theologi ex diver-
sitate terminorum seu scibilium has scientias in
Deo distinxerunt. Hactenus Theodorus.

Qui n. 19. bene notat: quando ajunt Theo-
logi, Deum non scire rem esse faciendam, nisi
supposito voluntatis suæ decreto, loqui illos de
scientia simplici & incompleta, formaliter ad
existentiam rei sic terminata, ut non potuerit
ad eam ut futuram terminari, nisi supposito di-
vinæ voluntatis decreto de ejus futuritione. Nec
enim hoc postulat comprehensiva perfectio di-
vinæ scientiæ, ut pro illo signo primo divinæ
providentiæ, quo res nondum sibi vendicat es-
se futuræ, ad illam terminetur ut futuram; imò
imperfectio esset, aliter terminari ad rem, ac est.
Quod autem pro primo illo signo, seu nondum
intellecto divinæ voluntatis decreto de futuri-
one rei, res non vendicat sibi esse futuræ, ma-
nifestum est; quia nihil futurum esse potest in-
dependenter à causa prima; adeoque à decreto
divinæ voluntatis, ut patet. Porro, ut futuritio
rei pendet ab hoc decreto; ita & divina scientia
futuritionis ab eodem decreto dependet, non
quidem quoad esse; sed quoad suam terminati-
onem; idèdque dicitur Deus cognoscere futu-
ra in determinatione suæ voluntatis, id est, tam-

quam in ratione, dante esse futurū, ut infra la-
tius explicabimus, ubi de medio divinæ præ-
scientiæ futurorum. Hæc impræsentiarum suffi-
cient.

Minimè, inquis: nā aliud est, objectū pendere
ab aliquo; aliud, scientiā talis objecti ab alio pen-
dere. Concedo, loquendo de dependentia præ-
sens sumpta pro dependentia in essendo: tamen
(inquit Smiling sup.) largè loquendo de de-
pendentia, ut completatur dependentiam in
terminando, id, quod est causa objecti in essen-
do, est etiam causa, seu conditio sine qua non,
quod ad tale objectum scientia aliqua verè
possit terminari: nec talis dependentia in ter-
minando ullam in divina scientia imperfectio-
nem ponit; quia terminari non est causari
præsens vel propriè loquendo de causalitate. Sic
ille. Sed enim: dicit aliquis: Deus in primo
signo providentiæ cognoscit rem cum omni or-
dine ad suum tempus. Nego. Solum enim in-
telligit (inquit Theodorus sup.) pro illo signo
rem cum omni ordine possibili, sed non cum
ordine actuali, quod dependet ex decreto divinæ
voluntatis. Quæ cum ita sint, rectè Theologi
invenierunt divisionem scientiæ in simplicem
intelligentiam, & visionem tum propter vari-
etatem terminorum, tum ad explicandum or-
dinem divinæ providentiæ.

Nunquid etiam valet divisio in scientiam
necessariam, & liberam? Resolutio hujus qua-
stionis imponet finem præsentis Conclus. &
Sectioni. Sed quæ illa resolutio? Patet ex
Conclusione prima, in qua divisimus scien-
tiam Dei in scientiam simplicis intelligentiæ,
& visionis, sive in necessariam, & liberam; si er-
go ista valet, hæc valere debet. Pro quo nota ex
Felice sup. numero 12. scientiam Dei circa crea-
turas esse duplicem, una est ex parte subiecti,
altera ex parte objecti. Quæ est ex parte sub-
iecti, si anteedat decretum, est necessaria &
naturalis: si est post decretum, est libera: &
hæc divisio est eadem, ac divisio scientiæ in
simplicem & visionis; nam scientia ante decre-
tum est scientia simplicis intelligentiæ, post
decretum est scientia visionis, ut patet ex dictis
Conclus. 1. Porro scientia necessaria ex parte
objecti est, quæ attingit objectum necessarium,
ut possibilis: libera, quæ attingit objecta libe-
ra, ut actus liberos futuros voluntatis creatæ.
Dixi signanter: Circa creaturas; quia omnis
scientia Dei circa Deum est summè necessa-
ria, tam ex parte subiecti, quàm objecti, quip-
pe essentia divina præcedit omne decretum di-
vinæ voluntatis, estque objectum necessarium,
ut omnibus manifestum est. Atque de hoc ob-
jecto instituitur

22.
An sit idem
objectum
pendere ab
aliquo, &
ejus scien-
tia pendere.
Smil.

Objectio.
soluitur.

Conclusio.

23.
An valeat
divisio sci-
entiæ in li-
beram &
necessariam.

Coincidit
cum scientia
simplici, &
visionis.

Omnis sci-
entia Dei
circa Deum
est necessa-
ria.